

3. *Simultanea*, quâ res indivisim, ut *tota simul* i. e. *semel* extans, supponitur,

4. *Singularis*, quâ rei singulæ rationes essendi juxta se mutuò sigillatim extare concipiuntur:

REMOTIO verò,

(1.) quoad Statum Essentiæ *signatum*, pro re

1. *purè* concipiendâ, retrospicit ad ejus Nihilum, seu NULLUM, indistinctè:

2. *pro modaliter* ponendâ, reponit ejus Modi PRIVATIONEM:

(2.) quoad *exercitum* Essentiæ Statum,

3. pro re *simul* extante, PRÆTERITUM aut *Futurum* intuetur.

4. pro rei singularibus *collocatis*, nudum SPATIUM & Vacuum relinquit.

§. 2. *Pura positione* Corpus naturale (v. g. *Lapis*) nihil aliud est, quàm partes extra partes, quatenus quælibet intrinsecus indistinctè, sine modo, sine figurâ, sine formâ, sine certo situ, (præter nudam Extensionem,) adeoque sine sitûs mutatione seu motu, spectatur. Et licet partes extrinsecus distinctè h. e. discretè, quælibet ut *una* pro se, considerentur; si tamen Numerus, quem unitates illæ constituunt, maneat indefinitus, adhuc indistincta seu pura positio dicitur, quippe quâ concipitur indefinita congeries partium & essendi rationum, hoc est, copia, pluralitas, consortium, commercium indistinctum & indeterminatum, rerum diversarum (terrearum, aquearum) quæ quidem extra juxtaque se mutuò positæ sunt; sed in ipsis hac primâ suppositione nulla certa ratio talis vel talis sitûs, nec ullus etiam motus i. e. nec mutato sitûs, nimirum actualis, attenditur (nam potentia vel aptitudo motum in se suscipiendi non prorsus excluditur, sed tacitè concessa supponitur) modò partes intrinsecus indistinctim, i. e. sine consideratione diversitatis quam habent inter se, considerentur, utus extrinsecus distinctim h. e. discretè, se sistant, dum in hac indistinctione suâ quælibet, ceu diximus, ut *una* vel ut unumquid, seorsim & pro se spectatur.

§. 3. Quod si verò partes, simul omnes præter intrinsecam indistinctionem, etiam extrinsecus indistinctè spectentur, & sic utrimque simpliciter indistinctè, nimirum intus & extra sine distinctione, (cum

B

Gne